Fragmentarium

dici gue est velut in perpetuare possideant. quibus non modicum condolentes. predecessori vestro litteras misimus ut hoc emendare debuisset. Sed quoniam vite est terminum citius occupatus. ne hoc oneris monasteriis remaneat. fraternitati vestre eadem nos scripsisse recolimus. et quia ut comperimus in huius rei hactenus correctione cessatum est. Hec audiens ad vos tamen pervidimus scripta dirigere. hortamur ergo ut omni mora omnique excusatione submota. ita monasteria ipsa huiuscemodi studeatis gravamine relevare. quatinus nullam deinceps in eis clerici vel qui in sacro ordine sunt constituti. ob aliud habeant nisi horandi tantum causa accedendi licentiam. aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint invitati misteria. Sed ne peculiis et monachi aut abbatis permotione et cetera. Et infra. Nec illic ulterius habeat potestatem aliquam. ne monasteria huius occasionis velamine easque prohibemus sustinere honera compellantur. hec itaque omnia vigilanti cura emendare. iam secundo commonita sanctitas vestra non differat. nec si post hec negligentes vos esse quod non credimus senserimus. aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit. quia tamen necessitati servorum dei congregationem subiacere non patiemur. Idem.

Gratia visitandi vel exhortandi monasterium episcopus adire potest.

Visitandi exhortandique gratia ad monasterium quotiens placuerit ab antistite civitatis accedatur. Sed sic caritatis officium illic impleat episcopus. ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Item ex concilio aurelianensi. Frequenter episcopi monasteria visitent.

Non semel sed sepius vel quando corrigenda sunt corrigant in anno episcopi visitent monasteria monachorum. et siquid corrigendum fuerit corrigatur. Pro talibus qui animarum curam non habentes bona tantum monasteriorum in suos usus convertere cupiebant. statutum est ut monasteria cum suis rebus penitus sint libera a potestate et dominio episcoporum. Quod autem nullis canonicis iuribus dicuntur monasteria esse subiecta. non ita intelligendum est quin ipsi episcopo aliquid nomine eulogie. vel in die dedicationis. vel in natale sanctorum quorum nomine ipsum monasterium dedicatum est debeat offerri. Unde gelasius papa ait. Non debet episcopus aliquid a monasterio exigere preter conditiones quas dedicationis tempore constituerit.

Eleutherii fratris et coepiscopi nostri querela quod maritus eius in casa que castellum dicitur oratorium construxisse ac dedicavit. et in eodem loco monachos constituerit ex quibus unus est presbiter. hoc autem tempore dedicationis inter episcopum cadeluntium cuius diocesis est. et matrem asserit convenisse. ut quicquid dedicationis vel natalis martirum die. quorum in eodem monasterio reliquie sunt. per fidelium oblationes intulit. medietatem quidem habeat ipsum monasterium. medietas autem episcopo offeratur. Contra quam conventionem marinum presbiterum sive sciente sive nesciente episcopo. monachis ipsis vel presbitero qui ex eis est videtur dicitur intulisse. et frequentes molestias generare. Ita ut memoratum presbiterum ipse occiderit. et missas eum facere nullomodo permittat dicens ut quasi pensionis nomine aliquid statuere debeat. Hic ergo omnia diligenter te examinare iubemus. et si apud te eadem ratione constiterit. quia tempore quo dedicatum est ipsum monasterium conditiones superpositae convenerint. servari eas ex nostra auctoritate precipimus. nec aliquid amplius exinde ab aliquo exigatur. Sin vero nil tale constiterit. mediante te quod ipsi episcopo nomine eulogie
pro mediis benedictio sive salutatio dicitur
offerri debeat inter ipsos monachos. et presbiterum volumus diffiniri. Salvo tamen eo ut presbiter gaudentius qui et monachus est missas in monasterio suo sicut consuevit facere a nullo ulterius debeat prohiberi. Item urbanus ii. Consueta servitia

Servitium episcopis monasteria exhibeant.

Quod monasteria aut eorum ecclesie a tempore gregorii vii. usque ad hoc tempus fecerunt. et nos concedimus. Canonica ergo iura quibus monasteria subiecta non sunt. sinodales exactiones intelliguntur. Non enim cogendus est abbas. sicut in turonico concilio statutum. ad sinodum ire. nisi aliqua rationabilis causa existat. Sunt et quedam servitutis officia ut angarie operum. crebre receptiones. annue exactiones. invitationes peccatum. a quibus omnibus monasteria libera sunt.

§ DUO CLERICI AD MONASTERIUM

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, NAL 2657, 22v – Gratianus, Decretum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-uxf8/4321/44120)